

# ANTIRRHETICON SEU CONFUTATIO ANNOTATIONUM JOANNIS KOHLII AD GEMINOS SANCTI EPHRAEMI DE SACRA COENA SERMONES.



**I**OANNES Kohlius in Academia Petropolitana historiae Ecclesiasticae, & humanarum literarum Professor, paucis antè annis edidit

Altonavie in Moscovia binos Divi Ephraemi Sermones de Sacra Coena; hisque adiecit annotationes, in quibus contendit, S. Ephraemum cum Lutheranis sentire, panem in Eucharistia cum Christi Corpore componi; idque colligit præcipuè ex subjecta prioris Sermonis periocha. *Corporibus carentes Seraphim ardentibus carbombus Esajam sanctificabant. Ignis verò non unam habet naturam, sed duplicem; ligno enim constat, & flamma: non aliter facer panis non ex una panis natura constat, sed & divina; Corpus enim, quod unius nature est cum divina, non una natura gaudet, sed duplici. Inde Scholiastes deducit, à S. Ephraemo fuisse explosam Catholicæ Ecclesiæ de substantiali Elementorum transmutatione doctrinam. Hæc illa, ait, verba sunt, que Pontificiam transubstantiationem impugnant, queque evidentissimum non credite ab Ephraemo transubstantiationis præbent testimonium.* Præbent item Kohlio justam magni triumphii materiam, Synnimitis etiam referendæ gratiæ argumentum pro merito, quod Lutheraniæ fidei ex ul-

tima Orientis ora, & ultima Christiani nominis ætate gravissimos contraxerit *Testes & Vindices*; tales nimirum prædicat in ipso sui operis vestibulo, geminos à se editos S. Ephraemi de Sacra Coena sermones. Quos ego quidem dum considero, confereoque, atque subjectas cum ipsis annotationes compono, cogitare ceppi: num Kohlio accidisset, quod præcis Arabibus illis nominum inventoribus contigisse oportuit: ii scilicet, quum pascas tractarent, & cubarent in stramine, paleas & stramina in Cœlo se videre putarunt; indeque Circulo, quem Graeci Pastores à non dissimili causa Lactem nuncuparunt, ipsi à ebbane *عجانة* ex stramine stramineum dixerunt. Adeò mihi certum est, Lutherani interpres Catholicæ Ecclesiæ Patrum sententia in proprii capitis commenta transmutasse. Nec mirum, quid enim in nostris templis ac libris videre sibi videretur homo Lutheraniæ Coenæ asuetus, præter panem? Panis enim illa Coena est, à qua tantum abest Corpus Christi, quantum ipsi Lutherani absumunt à Christi Corpore, quod est Ecclesiæ. At non hoc est, clamant iura, scire leges, verba earum tenere, sed vim ac potestatem. Age ergo, & quandoquidem quam protulisti, S. Ephraemi periocham tenemus, verba, cedo, recita, quæ immediatè præcedunt; nam de Auctore etsi hoc loco agendum foret, infra nobis, nec brevis nec in-

Num. 1.  
Contra ser-  
m. caput.

De legibus?

Num. 2.  
Kohlii  
mag. quædam  
resoluitur  
ex contextu.

A com-



DE EODEM AUGUSTISSIMO  
E U C H A R I S T I A E  
S A C R A M E N T O  
A N T I R R H E T I C O N A L T E R U M

A D V E R S U S R. P.

L E B R U N U M , E T E U S E B I U M R E N A U D O T I U M

*In quo contra utriusque Hypothesim asseritur S. Ephraemi, ejusque Discipulorum de Forma hujus Sacramenti vera & certa doctrina, & Syrorum Anaphoræ cum eodem S. Doctore, & communi Theologorum definitione conciliantur.*

P R A E F A T I O .



**H** A C T E N U S cum Auctore Heterodoxo disputavimus de materiâ Sacrosanctæ Eucharistiæ, quò S. Ephraemum ab Impianatorum errore, fuisse remotissimum statueremus; nunc de illius forma agendum erit adversus duos nostræ Communionis Scriptores, atque demoustrandum, nec S. Ephraemum, neque ejus Discipulos in hac parte à communi Theologorum sensu dissidere; sapienter quidem & admodum considerate Adversarius uterque antiquarum Ecclesiarum traditionem sibi utilem fore præsumsit, ad prævertendam impiæ novitatis suspicionem. Nec enim aliunde, ut ample & magnifice disputat Tertullianus, illam dogmatis ac doctrinæ velut canitiem accersere licet, homini cuilibet Christiano venerabilem, ipsisque Ethnicis in summa auctoritatis arce locatam: Nec nos interpositam ad antiquissimas, & ab Apostolis fundatas Ecclesias appellationem aspernamur; magnam illarum testimonio fidem in re præsertim Sacramentaria tribuerunt Viri sacre doctrinæ consultissimi, & am-

bo Theologiæ lumina, S. Thomas in quest. dist. 3. art. 2. q. 2. resp. ad primum, & Scotus in 4. dist. 3. q. 2., nec ullus hæcenus inventus est alicujus nominis Theologus, qui illis in hac parte refragari sit ausus: Theologorum judicium probavere Concilia OEcumenica tria; Lateranense Tertium, Lugdunenſe secundum, & Florentinum: Summi Pontifices Duodecim. Leo IX., Celestinus III., Innocentius III., Innocentius IV., Alexander IV., Gregorius X., Eugenius IV., Leo X., Clemens VII., Clemens VIII., Paulus V., & Urbanus VIII. At quoniam universalis, & constans Ecclesiarum usus tantæ apud omnes Sapientes auctoritatis est, vigilantissime excubandum, ne quod plerumque in magnis Auctoribus accidere videmus, aut communis consuetudinis specie privatorum hominum error larvatus incedat; aut ipsi privati homines suis opinionibus antiquarum Ecclesiarum generalem usum, speciosissimam nempe personam inducant; dum publicæ fidei instrumenta, quæ in Ritualibus libris continentur, aut mutilata proferunt, aut perversis interpretationibus ad sua commenta traducunt; sic enim pacis, & veritatis,

F

quam

*Lib. de Præter. & alij. Cleric.*

*Plat. in Tim.*



SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO  
**BENEDICTO XIV.**

ANGELUS MARIA TITULI SANCTI MARCI  
CARDINALIS QUIRINVS  
S. R. E. Bibliothecarius, & Episcopus Brixienfis.



*ALTERUM* hunc Tomum Syriaco-  
rum Operum Sancti Ephræm Syri,  
quem Tibi, BEATISSIME PATER,  
modo offero, auspiciatissimum pro-  
dire nemo in dubium revocaverit,  
cui compertum fiat, his ipsis diebus eundem in  
lucem emitti, quibus SANCTITAS TUA Romanæ  
Cathedræ fastigium conscendit, Deo O. M. cuius  
est,